

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4115

Auteur(s) : Louis VIII, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Silly-en-Gouffern, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1224

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

En vidimant la charte de Richard [Ier], roi d'Angleterre, par laquelle le roi fait les donations aux moines de Notre-Dame de Gouffern, Louis [VIII], roi de France, confirme les biens des moines de l'abbaye de Silly donnés par le roi Richard.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1134, p. 308-309.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes et futuri, quod nos cartam Ricardi, quondam regis Anglie, inspeximus in hec verba :

Ricardus, Dei gratia, rex Anglie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis tocius terre sue, salutem. Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse Deo et Sancte Marie de Goffer et omnibus fratribus ibidem Deo servientibus, in puram et perpetuam elemosinam, illam vastam terram que est inter magnam forestam et aquam Ure, et inter Mesos Guillelmi et vadum Arenarii, liberam et quietam ab omni consuetudine, et in predicta foresta herbagium et pasnagium ad propria animalia, et mortuum boscum ad arandum, et viride ad domos et edificia sua facienda, et vendere et emere in omnibus villis et castellis nostris libere et quiete. Preter hoc concessimus eis totum redditum omnium bigrorum quos ibi habebat pater noster. Concedimus etiam eis et confirmamus hoc quod fuit in dominio patris nostri ex utraque parte aque a Meso Guillelmi usque ad domum Roberti filii Hudonis et usque ad Spineta de Veteri Uroio, ex alia parte aque. Concedimus etiam eis et confirmamus apud Argenthomum terram et domum Columbelli, et terram Sancti Leonardi de Goffer. Concedimus etiam eis et confirmamus de redditu nostro de Argenthomo, singulis annis decem libras ; et de foresta nostra de Goffer, decem libras singulis annis ; et duos modios frumenti et unum modium ordei singulis annis, de molendinis nostris de Argenthomo ; et ecclesiam Sancti Leonardi, quam Robertus de Sancto Leonardo eis dedit in perpetuam elemosinam cum pertinentiis suis omnibus ; et ecclesiam Sancti Lamberti, quam Robertus de Clopel, assensu filiorum suorum, Fulconis et Gilleberti, eis dedit in perpetuam elemosinam cum omnibus pertinentiis suis, sicut carta patris nostri testatur ; et, ex dono Guillelmi de Mandevilla, comitis Essexie, domos de Blancfosse, et boscum quem idem Guillelmus habebat de Roberto de Fay et de Nicholao de Belautil et de aliis dominis, a quibus illud emit, salvis servitiis dominorum, et omnes terras de empto ejusdem comitis Guillelmi ibidem ; et, ex dono Ele de Sauchevilla,

sororis Roberti de Dana, X solidos quos Robertus de Clos eidem Ele reddebat de feodo suo, reddendos annuatim ad nondinas Montismartini ; et ecclesiam Sancte Marie de Repos, et quatuordecim acras terre, de dono Fulconis de Aunou, ibidem ; et ex dono ejusdem, decimam molendini sui apud Aunou, et totam piscaturam ejusdem molendini ; et ex dono Hugonis de Aunou, XX solidos andegavensium apud Chaumont annuatim reddendos in prima dominica XLe. Quare volumus et firmiter precipimus quod domus Sancte Marie de Goffer et predicti fratres ibidem Deo servientes habeant et teneant omnia predicta predicto modo, bene et in pace, libere et integre et plenarie et honorifice, in bosco et plano, in pratis et pasturis, in viis et semitis, in vivariis et stagnis, in aquis et molendinis et piscariis, in herbergagiis, in herbagiis et pascuis, et omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis et cum omni integritate sua.

Nos igitur, intuitu pietatis, et ob remedium anime nostre, et karissimi patris nostri et matris nostre et predecessorum nostrorum, et ad petitionem abbatis et fratrum Deo servientium apud Sille, cartam Ricardi, quondam regis Anglie, sicut in nostro autentico superius est inserta, ratam esse volumus et approbamus, sicut abbas et fratres memorati de eadem carta usi fuerunt tempore regis Ricardi, et tempore felicis memorie Philippi, karissimi genitoris nostri, quondam Francorum illustrissimi regis. Et ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato presentem paginam confirmamus. Actum Parisius, anno Incarnati Verbi M° CC° XX° IIII°, regni vero nostri anno primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Roberti buticularii ; signum Bartholomei camerarii ; signum Mathei constabularii. Data per manum Garini, Silvanectensis episcopi, cancellarii.